



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An licitus & justus sit census personalis perpetuus tam irredimibilis,
quàm redimibilis ex parte solius venditoris?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

citum emptoris recipiendi jus censûs, quod vendidit, reddito pretio, pro illo jure dato, aut onus assicurationis, transferendo scilicet censum, si res censui subiecta casu fortuito pereat, in aliam rem) quod utrumque pretio æstimabile est. Neque tamen contractus censualis utrinque redimibilis, vel saltem redimibilis ex parte emptoris, tolerari facile debet, ob intentionem usurariam, & pericula usurarum sub tali contrahendi modo sæpe latentia, & hinc tam in constitutionibus summorum Pontificum Martini V. & Calixti III. quàm in constitutione Caroli V. Augustæ in Conciliis Imperialibus anno 1548. edita, contractus tales censuales, quibus conceditur emptori facultas redimendi, prohibiti sunt ex præsumptione usurarum,

§. IV.

An licitus & iustus sit census personalis perpetuus tam irredimibilis, quàm redimibilis ex parte solius venditoris?

Quod census personalis non ita possit constitui in persona libera, ut si ea non sit solvendo, creditor possit debitorem vendere, vel servituti subicere, sicuti prædium vendi potest, & vindicari, certum est, sicuti enim homo liber non potest pignori dari cum periculo venditionis. *c. 2. de pignori.* sic nec potest census, cum tali periculo, in eo constitui. Quod autem licitus & iustus sit census personalis, ita ut persona talis & ejus hæredes, si census sit perpetuus, sint obligati, ex laboribus v. g. suis & operis, ad pensionem annuam

solvendam, & censuario jus acquiratur, ad illam pensionem exigendam, sive redimibilis talis contractus sit, sive irredimibilis, consuetudo in multis provincijs recepta probat, & à paritate census realis ostenditur. Argumenta in contrarium vide apud Auctor. Metho. soluta. §. 5.

§. VI.

De conditionibus ad contractum censualem requisitis.

DE jure naturæ quatuor conditiones requiruntur, ut iustus & licitus sit contractus censualis. Primò requiritur, ut in re sufficienter frugifera, vel quæ pro tali habetur, annuus census constituatur, ut suo tempore haberi pensio possit, sive deinde in re immobili, sive mobili constituatur, modò usus illus non sit consumptio illius, & separari possit dominium ab usu rei. Secundò requiritur ut iusto pretio (de lege vel consuetudine taxata, ut dictum, vel si hæc non habeantur, juxta prudentis arbitrium) census talis vel jus ad pensionem ematur. Tertiò requiritur, ut si res, ex qua pensio solvitur, reddita sit infructuosa v. g. vel omnino perierit sine culpa censuarii, censualista damnum ferat, seculo speciali assicurationis v. g. pacto, cum enim censualista sit dominus juris percipiendi pensionem, sive census, res autem domino suo pereat, consequenter etiam hoc jus, si pereat, domino, censualistæ scilicet petire debet. Quarto denique de jure naturæ non potest res, censui subiecta, in scio censualistæ, alienari,

Ggg gg 2

nari,